



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 9. Ferdiandus Cæsarem a Gallorum studiis avertere conatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

§. IX.

Sæcul. XVI.
A.C. 1511.*Ferdinandus Cæsarem a Gallorum
studiis avertere conatus.*

Rex Catholicus Gallorum potentiam in Italia nimium excrescere, præcipue si Julii Pontificis vires penitus attereretur, haud temere verebatur, hinc Maximiliano significari jussit, quod omnium opportunissimam occasionem negligeret, qua sine sanguinis dispendio quicquid Germani in Italia amisissent, recuperare posset; Gallis vero diutius adhærendo, Pontifici quidem ac Venetis exitium pararet, ast horum ruina tantopere Galliarum Regis potentiam augeret, ut ille demum nullo negotio totius Italiae imperium sibi vindicare possit; ceterum Germani, inquietabat Rex Catholicus, haud solliciti sint, qua ratione urbes a Venetis usurpatas recuperent, dummodo illis potiantur, præ reliquis tamen magis consultum foret, si Cæsarea sua Majestas Mantuæ conventum ageret, eoque suum Legatum decerneret; certo certius enim eventurum, ut ipse etiam Ludovicus suos Oratores illuc missurus, nec Pontifex quoque hac in parte defuturus sit; cum hic pertimescat, ne a Synodo adversus eum convocanda exauctoretur, de cetero Venetorum Respublica, quæ aliunde cum
Papæ

*Petrus de
Angl. epist.
l. 24.*

Sæcul. XVI. A.C. 511. Papæ consiliis lubenter conspirat, facile quicquid ab ea petetur, executura est, præcipue tamen ad id adigi poterit, ut omnia, quæ ab Imperio generatim, ac speciatim a Domo Austriaca tenet, protinus restituat, hoc pacto Germanorum potentia in Italia adeo firmabitur, ut brevi pristinae auctoritatis splendorem recuperatura sit.

§. X.

Consilium Cæsari probatum, ac Galliarum Regi perscriptum.

Guic. l. 9.

Captabat Maximiliani animum fiducia auctoritatem suam in Italia rursus stabiliendi, nec segnius eundem stimulabat ibidem potentiam suam supra Ludovicum extollendi voluptas. His lenociniis expugnatus Cæsar, Regis Catholici consiliis aquievit, hancque in rem ad Franciæ Regem literas dedit, significans, tantandum adhuc esse Regis Catholici consilium, ut summus Pontifex erroris sui plene convinceretur, ei autem rationi locum cedere renuenti haud ultra parcendum, de cetero se nullo pacto, aut cum Julio, aut cum Venetis inconsulto Galliarum Rege concordiam initurum, rogare tamen, ut Rex ad Mantuana comitia protinus Oratorem mitteret.

§ XI.